

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Arborem scientiae boni et mali, protoplastis interdictam ex Gen. II,17

**Mayer, Johann Friedrich
Ziegra, Georg David**

Vitembergae, 1718

§. 19.

[urn:nbn:de:bsz:31-130464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130464)

§. 19. Ex quibus hactenus dictis fati, ut opinor, Præcepti hujus videre est qualitas, & quam facile fuisset primis nostris parentibus ipsi, utpote haud gravi, obedire, summaque cum voluptate Deo inservire, & quam nullatenus in Deo quærenda sit Lapsus causa. Facillimum enim fuisset in tanta integritate Naturæ & magna ciborum copia ab unica arbore, reliquis omnibus & fortassis etiam ejusdem speciei, etsi in aliis individuis, concessis, in honorem Dei abstinere, veluti Rupertus monstrat *Lib. 2. in Gen. cap. 30.* & Augustinus *Lib. 8. de Gen. ad lit. c. 13.* Quia vero Legis proprium est obligare vel ad obedientiam, vel ad pœnam, ideo Legi suæ Deus addidit comminationem, quando ait: *Quocumque die comederis ex arbore scientia boni & mali מוֹת הַמּוֹת* morte, seu, *moriendo morieris*; sive enim vocem *מוֹת* nominaliter, sive gerundive exprimas, parum interest: nec erroris accusandi Græci sunt codices, quod plurali utantur moriendi vocabulo; dubium namque nullum, quin Eva interfuerit dato huic præcepto & pœnali interdicto. Nugæ autem, quod omnes animæ humanæ illico a primordio mundi ante corpora creatæ, huicque interfuerint mandato, ceu Judæi fabulantur. Sic enim Menasse ben Israel *Lib. de Creat. p. 61.* *Communis opinio est omnium Hebræorum, animas humanas præcessisse corpora.* Hinc ad *Deut. 10, 14.* *Neque vobiscum solis ego pango fœdus meum &c.* sic commentantur Rabbinæ: *כל הנשמות שהיו כן אדם הראשון ושהיו עד סוף העולם כלם נבראו בששת ימי בראשית וכלן כגן אדן וכלן במתן תורה שני כי את אשר ישנו פה עמנו עמד היום ואת אשר איננו פה עמנו היום:* *i. e. Omnes animæ, quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futura sunt usque ad consummationem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ 6. diebus creationis, omnesque in horto Edenis fuerunt, & dono legis interfuerunt: sic enim dicitur; cum eo qui astat nobiscum hodie, & cum eo qui non est nobiscum hodie.* Idem quoque cum Menasse docet R. Abarbenel ad locum *Jerem. l. v. 5.* & docetur in *Medrasch Tillim* & *Jalkut ad Psal. 139.* nec non in *Massech. Chagiga cap. 2. de eod. loco.*

§. 20. Nonnulli Ebræorum, quos refert Paulus Fagius in suo פירוש, dicunt *hæc reduplicatione מוֹת הַמּוֹת duplicem mortem, animæ & corporis, indicari, sed ipse arguitas esse opinatur,*

D

quum